

scipulus, sit constitutus Professor Botanices et Materiae medicae Philadelpiae.

Ab aliquo tempore nihil audiivi de Vandellio, qui factus fuit Professor Historiae naturalis Ulyssiponae.

Dabam Upsaliae 1767, d. 24. Augusti.

38.

Viro illustri DD. Nic. Jacquin Consiliario Imperiali et cet. s. pl. d. Car. von Linné.

Alta hyeme sepultus jacui, jam jam redibunt saturnia regna et desideratissimum Florae tempus, quo cum plantis regelem.

Occupatus fui hac hyeme in tertium tomum systematis, qui de Lapidibus agit, quem hisce diebus ad Typographum misi. Optassem vidisse prius Scopoli mineralogiam, sed frustra.

Loasa Tua V. J. mihi quotidie haeret ante oculos, cum non viderim inter omnes tam singularem structura plantam. Quotidie Tuam pulcherrimam figuram intueor, nec possum ea satis satiari. Supplex oro si Semina obtinere queas, me eis participem, ut habeam hac aestate quidquam singulare, quo taedium senile repellam.

In Gallia amplius non existit. Londinenses dicunt se eam habere in unico horto; an vere dubito; vix obtinebo. certe non deberet in Hortis Botanicorum perire cedro dignissima planta, si quae ulla.

*Rhamnum* Tuum pentaphyllum jam accepere vivum Aquis sextiis, ubi egregie viret et floret longo suo stylo. promiserunt mihi semina. In specimine misso erant folia ternata, quina enata e singula gemma, non vero ternata aut quinata, sed nuper enata folia, forte dein evadant pinnata.

Forskohlea collectanea in Arabia facta, quae redux